

Q.K
513
12

N. N. II, 408.
fr. 75, 10.

IIa
632

(21853712)

D. B. F.

Universos ac singulos

FAUTORES ET A-
MATORES SCHO-

LARUM,

ad Valedictoriam de SCHOLIS,

à
PETRO DECKERI / DESVICENSI,
ad diem VII. Maji
habendam,
decenti modo invitat

M. JOHANNES BARTHOLOMÆI,
SCHOLÆ CIZ. RECTOR.

CIZÆ, Stanno Hared. CELLARII.



De Migratione Liberatorum *Sex Punctis.*



Handwritten text in a Gothic script, likely a title or heading, consisting of several lines of dense, dark ink.

713



I quis præsentē Ger-

maniae statum cum eo, quem ante & paulò post natum in hanc lucem mundi Salvatorem habuit, contendere satagat, immensum quantum utriqve intercedere, fateatur oportet, dumne veterum non omnimodò sit expertus memoriarum. Non dicam jam de regionis externo habitu, quam *Cornelius Tacitus* (cui penè soli debemus, quod de patriæ ac majorum nostrorum vetustate novim⁹) prodit in formem terris, asperam cælo, tristem cultu ad spectuq, in univ⁹sum aut silvis horridam, aut paludibus fœdam, frugiferarum arborum impatientem, pecorum quidem, sed improcerorum fœcundam. Neque mores incolarum attingam, quorum nonnullis quidem vicinorum injecerunt admirationem, aliis verò sibi odium pepererunt atq; invidiam. Misera illorum pectus meum effodit planeqve attonitum reddit, quoties verba hæc Taciti recolo: *Literarum secreta viri pariter ac fœminæ ignorant.* O miserabilem hominum conditionem! ô statum offusis lacrymis prosequendum! Mirum verò ad tantas fortitudinis, castitatis, hospitalitatis, aliarumqve virtutum laudem, quâ nominatus Scriptor eosdem exornat, assurrexisse: quod quidem rationis rectæ ductum secutis unicè contigit. At enim verò si naturam illorum accessisset ratio quædam & confirmatio doctrinæ, si ad vitiorum femina extirpanda validis instructi fuissent adminiculis, si postremum vitæ humanæ terminum & ei divinitus constituta præmia pœnasqve habuissent cognita, quid illis futurum, fuisse arbitrandum? Jam cum apud eos Scholæ publicæ fuerint nullæ, in quibus literas & verum vivendi congenitamqve naturæ pravitatem eluctandi modum perdidicissent, neqve felicitatis illius civilis, quò tamen cæteræ gentes, non magis verâ religione

*Tacitus de
mor. Germ.
cap. 5.*

*Id. ibid.
c. 19.*

gione imbutæ, pervenerunt, fieri participes potuerunt. Per
 quasunque enim orbis, spissis adhuc Ethnicismi tenebris obvo-
 luti, regiones mentis oculos circumferimus, vix ullum erit repe-
 riri populum, quin amore ductus sapientiæ, literis bonis pubem
 suam curaverit expoliendam. Ad stuporem hâc re nobilitatam
 Græciam quis nescit? Extructa ibi passim leguntur Musarum
 domicilia, quorum caput sine dubio fuit Athenis, ut quam non-
 nullis eâ de causâ *Ἐλλάδος ὑστέρων*, hoc est, *Græcia museum*; Pindaro
ἑστῆμα, i. e. *columnen seu firmamentum*; Thucydidi *Ἐλλάδος Ἐλλάδα*,
Græcia Græciam; Pythio *Vestam Græcorum & Prytaneum* fuisse
 appellatam, *Cælius* testatur. Secundum has Chalcis Eubœæ
 metropolis, & Eretria civitates pacis belliqve artibus, philoso-
 phantibus amœnum & tranquillum suppeditarunt otium. Ere-
 triorum Philosophorum schola, Menedemi instituto, Eretriæ
 constitit: quin & antè Aristotelis ibi fuit secta, qui Chalcide ad
 mortem usque versatus est, ut *Strabo* memoriæ prodidit. Sed
 & Gymnasium Rhodium propter incredibilem loci opportuni-
 tatem & urbis auctoritatem constat fuisse celeberrimum. Quò
 quidam Pindarum nonnulli collimasse putant, cum de Rhodo
 inquit: *ἴθα ποτὲ βρέξε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας χρυσαῖς νηφάδοσι πόλιν*. Id est:
ibi quondam irrigavit Deorum Rex magnus aureis nivibus urbem.
 Sed de divitiis, quibus Dei benignitate affluerunt ingentibus,
 id capi rectius, cum *Erasmo Schmidio* Interprete perquam indu-
 strio statuimus. In Italiâ studia celebrem apud Thurios sedem
 habuerunt, quorum legislator Charondas fancivit, ut omnes ci-
 vium filii literas discerent. Et ne fortassis pauperes iisdem ar-
 ceret inopia, ut ex ærario publico didactra solverentur Præce-
 ptoribus, constituit. Neque disciplinarum culturâ cuiquam
 cesserunt urbes cæteræ, Metapontus, Heraclea, Croto & aliæ, ut
Italiam plenam Græcarum artium, studiâq; humaniora & in Latio
vehementius culta, neq; Romæ propter tranquillitatem & otium
neglecta fuisse, Cicero de suo tempore perhibeat. Etenim

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes

Intulit agresti Latio:

ut acutè canit *Horatius*. Hinc factum, ut Romæ, Athenarum
 æmulatione, studia florere cœperint, idqve vel maximè sub Im-

Cæli Rhod.
A. L. libr.
XVIII. c. 25

Strabo Ge-
ograph. lib.
X.

Pind.
Olymp. 2.
ἰπώδ. β.

Beyerlinck
Theatr. tit.
Schol.

Cic. Orat.
pro Arch.

Horat. lib.
II. Epist. 1.

Gell. N. A. peratoribus. Quippe paulò post bellum Punicum, autore *Gellio*,
libr. XVII. Titus Livius fabularum docendarum fecit initium, sub idemq;
c. 20. tempus mercede Grammaticam docuit Spurius Carvilius. Brevi
 dein interjecto tempore supra XX. Grammaticorum scholas in
 urbe fuisse; nec non Rhetores ac Philosophos ibidè habuisse ca-
 thedras, omneq;ve doctrinæ genus, quod hominum ornaret in-
Suet. de il- genia, in vectum fuisse, tradit *Suetonius*. Alexandriam Ægypti
lust. Grām. nobilissimam urbem omnium disciplinarum habuisse scholas,
Strabo Ge- ex *Strabone* discimus. Et quantopere ibidem cultæ fuerint ar-
ogr. lib. X. tes, nullum est certius indicium, quàm admirabilis illa Biblio-
 theca, cujus loculi monumentis referti veterum, septingenta
 voluminum millia continuerunt. Eam ob causam scienter Apu-
 leijs eruditionis laudem tribuit Ægyptiis: & Ægyptum merito
Macr. Sa- suo *Macrobius artium matrem* appellat. Huic etenim, ut *Athe-*
urn. lib. I. *neus* docet, Philosophiæ propagationem bis debet Græcia: semel
c. 5. post Alexandri M. obitum, cum propter sociorum ejus bella in-
Athen. lib. testina literæ totâ exularent Græciâ, tum sola portum Alexan-
IV. c. 24. dria quietum Musis præbuit: Iterum sub Ptolemæo Cacergete
 (h. e. malefico) ab Alexandrinis dicto, utpote qui magnâ usus
 crudelitate, parte civium casâ, parte in exilium actâ, in insulas ur-
 besq; Græcas Grammaticis, Philosophis, Geometris, Musicis, pue-
 zorum magistris, pictoribus, Medicis aliisq; replevit artificibus,
 qui ex inopiâ sciētiam suam professi, multos præclaros viros in-
 struxerunt. Quid? quod tanta Scholæ Alexandrinæ fuit digni-
 tas, tanta existimatio, ut Medicis, teste Ammiano Marcellino,
 dicentibus, se Alexandriæ eruditos, ad commendandam artis au-
 toritatem suffecerit: quamobrem & Galenus addiscendæ & ex-
 ercendæ medicinæ causâ per aliquot annos ibidem fertur com-
Appian. lib moratus. Julium Cæsarem, narrat *Appianus*, cum post necem
XI. B. C. Pompeji Alexandriam venisset, in gymnasia publica ingressum,
 stantem inter plebem Philosophos audivisse. Non minori ce-
 lebritate quondam Ægypti schola fuit Memphitica, cujus incola
 cum Abraham Patriarcha, illuc è Mesopotamiâ profectus, per
 tempus aliquod esset, variarum artium doctrinâ secum impor-
Middend. tâsse, ex Hieronymo in Esaiam & Ezechielem colligit *Middend-*
sr. de Acad. *dorpius*. Antiochiam Syriæ metropolin eruditissimis hominibus
 lite-

liberalissimisq: studiis affluxisse, ibidemqve & Archiam Præce-
 ptorem suum natum, tam uberem ingenii cepisse cultum, ut e-
 jusdem gloriâ cunctis æqualibus antecelluerit, *Tullius* comme-
 morat. Sic & Carthaginem civitatem olim opulentissimam,
 imperii Romani æmulam, artium liberalium scholas, Philoso-
 phorum officinas, lingvarum deniqve & morum gymnasia ha-
 buisse, refert *Salvianus*. Berythus quoque seu Baruthus Phœ-
 nicia: urbs optimarum artium cultu præ cæteris olim fuit floren-
 tissima: quam proinde & pulcherrimam & legum nutricem me-
 ritò fatetur appellari Imperator *Justinianus*: imò cum hanc, tum
 alias ob causas eam Metropolitanò nomine & dignitate censuit
 exornandam. Sed neque chartæ hujus angustia, me plura perse-
 qui exempla, patitur, & per adducta satis opinor clarere, quantâ
 præ Germanis olim felicitate gavisi fuerint populi complures,
 dum doctrinæ beneficio, beluinâ suppressâ naturâ, non ad ve-
 ram solum perducti fuerunt humanitatem, sed occasione quoq;
 nacti veram cognoscendi religionem: quod posterius Platoni,
 Aristoteli, Ciceroni, Suetonio, Plutarcho multisqve contigisse
 aliis operosè *Franzius*, felicissimus ille divinorum Oraculorum
 Interpres, demonstrat. Miram profectò atqve jucundissimam
 permutationem, & illam Glauci ac Diomedis multis anteceden-
 tem parasangis, quâ, non dicam, pro ære, sed pro luto & quis
 quiliis aurum accepimus, deprehendere licet, cui modernam
 Germania: sortem attentâ mentis acie perlustrare & ad veterem
 illam comparare libitum fuerit. Nam pleraque loca, quibus o-
 lim studia velut amoenissimo floruerunt viridario, jam horren-
 da deformat barbaries & inscitia: ubi nos contra ea (id quod
 Dei misericordiæ in acceptis unicè referimus) Scholis abundan-
 tes, artium & sciètiarum quarumvis nectare perfundimur. Tan-
 tum igitur abest, ut in miseriæ barathro, quo majores quondam
 nostri fuere merfi, adhuc hæreamus, ut potius in patentissimo
 prosperitatis campo versemur, ubi, nullis Dei ingratis, expedi-
 tē, quæ rei nostræ subserviunt, decerpēdi nobis est facultas. Post-
 quam enim Carolus M. devictis Saxonibus, primam Ecclesiam
 Osnabrūgensē constituisset, à legatis Irenes & Nicephori Pa-
 tricii, qui tum orientis imperium tenebant, admonitus, privile-
 gium

*Cic. pro
 Arch.*

*Salv. libr.
 VII. de Dei
 provid.*

*Proem. ff.
 in § Hac a-
 tria.*

*C. libr. XI.
 tit. 21.*

*Frantz. de
 Interpr. S.
 Sript. Ora-
 cul. XII.*

*Vid. Hom.
 Iliad. 5 v.
 236.*

*Frantz. I. I
 metrop. 6. 7*

gium novæ dedit Ecclesiæ, ut utriusque inibi lingvæ scholæ erigerentur & insignes præessent Doctores. Ex quo loco deinde per reliquas Germaniæ partes, unâ cum religione Christianâ, propagatæ literæ, incredibile est, quàm lætè, præsertim post Cõcilium Constantiense, pullulaverint, ut penè plures ibi nunc numerentur Academiæ, quàm in reliquâ Europâ universâ. Ecquis enim numerum, quem Viennensis, Heidelbergensis, Basileensis, Pragensis, Lipsiensis, Rostochiensis, Erfordiana, Francofordiana, Witebergensis, Jenensis, Ingolstadiensis, Marpurgensis, Tübingensis, Moguntinensis, Coloniensis, Trevirensis, Regiomontana, Gripswaldensis, Friburgensis, Lovaniensis, Helmstadiensis, Würtzburgensis, Dillingana, Giessensis, Leidensis, Franckeana, Altorfina, Argentinensis, Rintelensis, conficiunt, è cæteris Europæ componet Academiis? Reliquarum verò minorum scholarum qui numerum inire velit, næ is arenam marini litoris numerare aut ex eadem necere funem instituet. O si cuncti Germanico nati sanguine, summi, medioximi, infimi, lucis divinæ radiis collustrarentur, ut ingens hoc Dei beneficium agnitum, ritè pensitarent! At enim verò nunquam Deus hujus stricturas gratiæ in quosvis cessat spargere, dummodo non ipsimet oculos præfractè clauderent, quò minus animadvertant, quod tamen alii, ceteroqui Germani nominis osiores acerrimi, deprehensum prædicarunt. Etenim *Johannes Bodinus* imperii Germanici, adeoq; Germanorum hostis infensissimus, vi veritatis subactus, hanc illorum metamorphosin lætissimam plenis ebuccinat faucibus, dum in hæc verba scribit: *Nullum illustrius est, quàm Germanorum exemplum: qui cum à feritate beluarum non procul abessent; cum in paludibus ac silvis ferarum more vagarentur; cum inveterato quodam odio semper à literis abhorruissent; nunc tantum profecerunt, ut humanitate Asiaticis, militari disciplina Romanis, religione Ebraicis, Philosophiâ Græcis, Geometriâ Aegyptiis, Arithmeticâ Phœnicibus, Astrologiâ Chaldeis, opificiorum varietate populis omnibus superiores esse videantur.* Cui pollicem premit *Paulus Jovius* & ipse minus aliàs bene cupiens Germanis: *Litera, inquit, non Latina modò, sed Græca & Ebraica in Germanorum terras fatali commigratione transferunt. Neg, enim*

*contenti illi suâ vetere militia laude, quâ Martium decus, Romanis
 gentium victoribus ereptâ, stabili disciplina severitate feliciter tuen-
 tur; ipsa etiam pacis ornâmentâ, literas optimasq; artes, decoquenti
 Græcia ac Italia dormitanti (quod pudeat) abstulerunt. Quod igi-
 tur adversariorum perstrinxit mentem, ut eò vel inviti felicitatis
 nobis tulerint testimonium, quod Scholas haberemus, in quibus
 ad pietatem ac virtutem puerorum & adolescentium informa-
 ta examina, ad Ecclesiæ indidem atqve Reipublicæ stabilimen-
 tum educuntur, id ipsum à nobis vilipendi aut omninò negligi
 maximæ nobis & impietatis notam inuret & dementiæ. Hanc
 autem providere & à nobis amoliri poterimus, si omnes atqve
 singuli pro pietatis istis officinis, Ecclesiæ seminariis, Reip. ful-
 cris communisq; prosperitatis fontibus, Deo clementissimo de-
 votas agentes gratias, eorum conservationem & incrementum
 piis efflagitemus precibus: si Magistratus, illi Ecclesiarum Scho-
 larumqve מִשְׁפָּטִים atqve חֲסִידִים hoc est, nutritii atqve lacta-
 trices, in iis conservandis & eorum vulneribus, quæ per tela
 Martia acceperunt, sanandis elaborent: si Præceptores deman-
 dato sibi munere, cum dextrè docendo, tum severè castigando
 pro virili fungantur parte: si deniqve discipuli nihil earum re-
 rum omittant, ad quas obeundas simul à venerandis Verbi Dei
 Præconibus, simul à fidelibus magistris extimulari sese audiunt,
 quàm sapissimè. Horum gregi in Scholâ nostrâ hæctenus ad-
 mixtus*

Esa. XLIX

v. 25.

PETRUS BECKER / DESVICENSIS

id sibi negotii datum credidit, ut Deo pietatem, Patronis obser-
 vantiam, Præceptoribus obsequium, commilitonibus amorem
 fidemq; probaret suam. Cum enim veræ felicitatis fundamenta
 in Scholis poni sibi haberet persuasum, ut iisdem instrueretur,
 patientem disciplinæ commodavit aurem, nihil quicquam ope-
 ræ, laboris & sudoris subterfugiens. Et quamvis naturam in-
 conferendis ingenii dotibus habuisse videatur novercantem, om-
 nes tamen iniit rationes, omnia tentavit media, omnes inten-
 dit vires, quibus eam expugnare difficultatem & superare posse
 non desperavit. Neque verò tantopere conantem Deus, cui
 studia aggressurus, calida fecit vota, deseruit: cujus benigno

com-



AK Ta 632

complexu sublevatus, eos fecit profectus, quos humana societa-
 ti, praesertim indefessa auctos contentione, profore speramus.
 Abitu vero jam ex nostra Schola, cujus ultra decennium fuit
 alumnus, consilio Domini Parentis, *Viri Reverendi atq; Clarissi-
 mi HENNINGI BECKERSI* / *Ecclesiae Desvicensis Pa-
 storis Vigilantissimi Fidelissimiq;*, necnon Praeceptorum consen-
 su, meditando, cum multis magnisque beneficiis se cumulatum,
 hic gratam mente agnoscat, aliorum more cuculorum (qui talem
 ingratitude haudquam ferent impunè) clam se subdu-
 cere non vult, sed praemisam Oratiunculam *de Scholarum laudibus*,
 gratias Benefactoribus pro meritis agere decentes easque publi-
 cas animum induxit. Quem crastina luce, Deo volente, post
 peracta sacra dicturum, ut cuncti Scholarum Fautores Amato-
 resque, quos Ciza nostra fovet, *Viri plur. Reverendi, Nobilissimi,
 Amplissimi, Experientissimi, Clarissimi, Prudentissimi, Prestantis-
 simi atq; Doctissimi* praesentiam suam honorificam sublevare, faustoque
 voto prosequi, digredientem dignentur, eam, quam par est, animi
 contentione rogamus. Velut hoc magni beneficii loco repo-
 nimus: sic in eo desudabimus masculè, ne quem locum aut
 tempus ejus compensandi, quantum quidem in nobis erit, pra-
 termittamus. P. P. Cizae d. VI. Maji Anno *MDCCLXXIII*
 clō lōc LXIII.




WPA

Tacitus de
mor. Germ.
cap. 5.

Id. ibid.
c. 19.

ut
m
ni
m
pr
ar
da
qv
di
ef
ce
se
pr
h
S
re
il
vi
li
tu
fi
n
ri
ti



ntē Ger-
m ante & paulo post
ndi Salvatorem ha-
n mensum quantum
ne veterum non o-
licam jam de regio-
(cui penē soli debe-
n vetustate novim9)
n cultu ad spectus, in
fœdam, frugiferarum
n procerorum facun-
q vorum nonnullis
m, aliis verò sibi o-
lorum pectus meum
verba hæc Taciti re-
na ignorant. O mi-
am effusis lacrymis
titudinis, castitatis,
m, quâ nominatus
od quidem rationis
nim verò si naturam
natio doctrinæ, si ad
ti fuissent adminicu-
k ei divinitus consti-
quid illis futurum,
holæ publicæ fuerint
ongenitamque natu-
ssent, neque felicitate
non magis verâ reli-
gione

